

crificaveram mactans vetustatem meam, et inchoata meditatione renovationis meae, sperans in te, ibi mihi dulcescere coeperas, et dederas laetitiam in corde meo. Et exclamabam legens haec foris, et agnoscens intus. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, et devoratus temporalibus, cum haberem in aeterna simplicitate aliud frumentum, et vinum, et oleum. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei: O in pace, o in id ipsum, o quid dixit: obdormiam et somnum capiam! Quoniam quis resistet nobis, cum fiet sermo, qui scriptus est? Absorpta est mors in victoriam? Et tu es id ipsum valde, qui non mutaris, et in te requies obliviscens laborum omnium; quoniam nullus alius tecum, nec ad alia multa adipiscenda, quae non sunt, quod tu; sed tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Legebam et ardebam, nec inveniebam, quid facerem surdis mortuis, ex quibus fueram pestis, latrator amarus, et caecus adversus litteras de melle coeli melleas, et de lumine tuo luminosas: et super inimicis scripturis scripturae hujus tabescebam, quando recordabar omnia dierum illorum feriatarum. Sed nec oblitus sum, nec silebo flagelli tui asperitatem, et misericordiae tuae mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc excruciabas me, et cum in tantum ingravesceret, ut non valerem loqui, ascendit in cor meum, admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me, Deum salutis omnimodae, et scripsi hoc in cera, et dedi eis, ut legeretur. Mox, ut genua supplicii affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expavi, fateor, Domine meus, Deus meus! nihil enim tale ab ineunte aetate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, et gaudens in fide laudavi nomen tuum, et ea fides me securum esse non sinebat de praeteritis peccatis meis, quae mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.